



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis

Musart, Charles

Monachii, 1654

II. Quomodo seruanda, quæ in Tridentino præscribuntur circa
denuntiationes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

etiam iniuriæ erga patriam potestatem. Ingressûs in Religionem alia est ratio; hîc enim DEVS magis, quàm parentes, consulendus. Expedi igitur de iis pro concione populum edoceri, simul tamen grauissimè reprehendi parentes, qui metu graui, vehementibus minis, aut etiam verberibus, proles ad ineundas nuptias cogunt, cùm statum castitatis, aut Religionis elegerint; aut cùm inire Matrimonium decreuerint, nimium vrgent, vt in Monasterium se intrudi sinant; aut, certè, vt cum iis contrahant, quas nollent: quibus ex rebus quæ scandala, & damna animarum sequantur, satis dici & deseri non potest.

NVM: II.

Denuntiationes.

TRidentinum sess. 24. de reform. Matrim: cap. i. vt impedimenta, & grauissima incommoda præcaueri possint, vult tres denuntiationes à
pro-

proprio contrahentium Parochò , tribus continuis diebus festiuis in Ecclesiâ, inter Missarum solemnias , publicè fieri ; quæ res , cum de se grauis sit , grauiter obligat , nisi quid excuset. Igitur id exactè obseruabis.

Si tamen clara , & grauis necessitas vrgeret contractum matrimonialem , nec denuntiationibus locum , vel tempus daret , ob imminens graue damnum ; vt si periclitans de morte , vellet ducere concubinam ad legitimandam prolem , neque adiri Episcopus possit , censeris habere consensum. Si probabiliter timeatur , ne Matrimonium , præmissis denuntiationibus malitiosè impediatur , neque tempus patiat Episcopum consuli ; sunt , qui censent , banna posse tuâ authoritate differri , modò fiant , priusquam Matrimonium consummetur.

Episcopus ex iustâ causâ , eâque multiplici dispensare potest in occurrentibus causis : ad eundem erit , si fieri possit,

lit,

256 *Institutionum Pastoralium*
fit. Consuetudo, & interpretatio Do-
ctorum circa interpolationem, aut
trinam denuntiationem, itémque circa
tempus, & locum denuntiationum
quædam mitigat, de quibus consule
Casistas. Non expedit autem eodem
die, quo fit tertia denuntiatio, ma-
trimonium celebrari, ne subtrahatur
tempus ei, qui vellet reuelare impedi-
mentum: quantum verò differri pos-
sint nuptiæ, post trinas denuntiatio-
nes, vide, quid statutum, vel consue-
tum sit. Si alteruter futurorum Con-
iugum ad te non pertineat, vel in tuâ
Parochiâ non admodum diu habita-
uit, cures denuntiationes fieri eo lo-
co, vbi habitant, vel diutiùs habitâ-
rint, non in loco natiuitatis, ideo
tantùm, quòd ibi nati sint: quâ
in re aliqui fallun-
tur.

••(o)••

NVM: